

Augustus en de toekomst van het Romeinse rijk (Verg. Aen. VI, 788-823)

'Hūc geminās nunc flecte aciēs, hanc aspice gentem  
Rōmānōsque tuōs. Hīc Caesar et omnīs Iūli  
prōgeniēs māgnū caelī ventūra sub axem. 790  
Hic vir, hic est, tibi quem prōmittī saepius audīs,  
Augustus Caesar, dīvī genus, aurea condet  
saecula quī rūsus Latiō rēgnāta per arva  
Sātūrnō quondam, super et Garamantas et Indōs  
prōferet imperium: iacet extrā sīdera tellūs, 795  
extra annī sōlisque viās, ubi caelifer Atlās  
axem umerō torquet stēllīs ardentibus aptum.  
Hūius in adventum iam nunc et Caspia rēgna  
respōnsīs horrent dīvum et Maeōtia tellūs,  
et septemgeminī turbant trepida ōstia Nīlī. 800  
Nec vēro Alcīdēs tantum tellūris obīvit,  
fīxerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthī  
pācārit nemora, et Lernam tremefēcerit arcū;  
nec, quī pampineīs victor iuga flectit habēnīs,  
Līber, agēns celsō Nysae dē vertice tigrīs. 805  
Aut dubitāmus adhūc virtūtem extendere factīs,  
aut metus Ausoniā prohibet cōnsistere terrā?  
Quis procul ille autem rāmīs īnsīgnis olīvae  
sacra ferēs? Nōscō crīnīs incānaque menta  
rēgis Rōmānī prīmam quī lēgibus urbem 810  
fundābit, Cūribus parvīs et paupere terrā  
missus in imperium māgnū. Cuī dēinde subībit  
ōtia quī rumpet patriae residēsque movēbit  
Tullus in arma virōs et iam dēsūēta triumphīs  
agmina. Quem iūxtā sequitur iactantior Ancus 815  
nunc quoque iam nimium gaudēs populāribus aurīs.  
Vīs et Tarquiniōs rēgēs animamque superbam  
ultōris Brūtī, fascīsque vidēre receptōs?  
Cōnsulis imperium hic prīmus saevāsque secūrīs 820  
accipiet, nātōsque pater nova bella moventīs  
ad poenam pulchrā prō libertāte vocābit,  
īnfēlix, utcumque ferent ea facta minōrēs:  
vincet amor patriae laudumque immēsa cupīdō.